

30. *Piptopogon laevigatum* C. H. Schultz.

Planta glabra.

Synonymia.

Seriola laevigata Desf. Atl. II. 237.

Piptopogon decipiens H. Cass. dict. sc. nat. XLIII. 508. cum descriptionibus sec. eadem specimina factis.

Icon. Desf. l. c. tab. 216.

Planta cl. Desf., saltem ex icone, cum *Piptopogone* convenit. Sed glaberrima describitur, quare eam hucusque ut speciem propono, auctorisque iudicium relinquo. In speciminibus nempe siculis numerosissimis nunquam specimen glabrum observavi, neque tale ab auctoribus descriptum invenio.

Radix 4, repens, ex cl. Desf.

Patria. In Barbaria sec. cl. Desf. l. c.

Species exclusa.

Piptopogon macrospermum

C. A. Meyer in Bullet. de Moscou = *Scorzonera macrosperma* Turcz! (v. sp. 1. in herb. cl. Ledebour, sed receptaculum, sec. C. A. Meyer — quia stirpem *Piptopogoneis* adnumeravit — paleatum, non vidi.)

Plumulae omnes in hac specie distinctissime sunt intertextae! quare eam *Tragopogoneis* meis adnumero, non *Hypochoerideis*, in quibus plumulae omnes sunt liberae vel (in *Hypochoeridis* genere) quandoque tertia parte inferiore intertextae, ceterum liberae.

Ob receptaculum paleatum vero non *Scorzoneræ* potest consociari. — Ideo genus novum constituere videtur:

***Achyroseris* C. H. Schultz.**

Character: Pappus plumosus, plumulis omnibus intertextis. Receptaculum paleatum.